

omnibus hominibus ante introductam servitutem competenter, quam etiam servi habent, qui vi & jure prohibentur eam exercere. Et ineptius adhuc est emplastrum interpretum quorundam, qui servos statu non vi & jure impediri ajunt, quasi status servorum non inceperit a vi bellica, & quasi jus Gentium aut Civile non impedit libertatem servorum, & statum servilem legibus coercent. Et vereor, ut omne dubium tollatur, si liberum hominem cum aliis definias, qui careat domino, quia servi sunt, qui habent dominum. Hoc pacto enim libertas vel concipitur, quid non sit, vel pro mera privatione falso ventilatur. Et quid si quis urgeat, hoc modo omnes homines in Republica servos esse, praeter solum Principem, quia Principes & sint & dicantur Domini subditorum. Distinctio inter libertatem civilem & personalem rem magis intricabit. Libertati opponitur servitus. Ergo & servitus erit vel civilis vel personalis. Et subditi ergo erunt servi civiles. Prince uti etiam quoad personam liber est, ita & subditi quoad personam servi erunt, cum Princeps sumnum jus & illimitatum habeat in personas subditorum. Quodsi distingueres inter libertatem & servitutem in territorio reipublicæ & in domo, & sic parum proficeres. Spatium enim laxius & angustius statum libertatis aut servitutis non mutare possunt. Mancipium divitis domini, cuius operis dominus in parva villa utitur æque mancipium est, ac illud, quod omnibus ejus servis & negotiis est propositum, & ex officio servili perpetuo huc illuc iter facit.

§. XXXV. Quodsi subditorum nulla est a servis differentia, *Subditi servi ignoramus profecto omnem differentiam inter ingenuos & servi secundum vos.* Ingenuitas enim est status infra majestatem positus, & character subditorum qui liberi esse dicuntur. Et profecto, quo plus dubitamus, eo magis dubii reddimur. *Jus Regis,* quod Samuel populo Israëlitico exponit, i. Sam. 8. expresse dicit, *quod servi futuri sint regis.* Qui de moribus tyrannicis Gentium finitimarum Samuelem accipiunt & juri huic Regio opponunt aliud *jus Regis* descriptum Deuteronom. c. 17. illi profecto fluctus movent in simpulo, & officium Regis a jure ejus, potestatem ab obligatione secernere ignorant, seducti forte doctrina non lepida juris Romani, vel si